



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Franciscus Xaverivs. 3. Decembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

# S. FRANCISCUS XAVERIUS.

3. Decembr.

*Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus, omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Paul. 1. ad Cor. cap. 9.*

**F**RANCISCUM Xaverium pinximus, virum, cujus animo alter etiam Orbis angustus fuit. Dum vixit, Virgo vixit: Testimonium animo integerrimo corpus dixit, longè post mortem etiam in viva calce integrum. Sui semper egregius victor non semel è morbidi ulcere ipsum pus hausit. Sed tam sitibundum Deus deinde tot delitiis per omnem vitam perfudit, ut ebrius sæpe exclamare, diducto à pectore vestimento, coactus sit: *satis est Domine, satis est.* Apostoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso Numine delectus. Siquidem multò ante in somnis tetri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris sibi per quietem visus est. Et quid aliud vigilans postea egit, cum ejusmodi hominum decies centena

Z s

millia

millia ad Ecclesiæ gremium suis humeris tulit, & tot non tam vultus, quàm animos fulcos sacra undâ solus lavit, & cæli candidatos esse jussit. Vaticinia insuper edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, idem eodem tempore geminis in locis & longissimè dissitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinque supra viginti: Omnibus omnia factus, in conviviiis etiam atque ludis animorum lucrum quæsit, invenitq; Ad extremum dum amplissimum Sinarum Regnum laborat ingredi, in ipso ejus portu ad cælum an imam appulit. *Ex vita.*

### MEDITATIO.

#### *In vitam S. Xaverii.*

1. **A** More Dei, in Exercitiis spiritualibus S. Ignatii, sic inflammatum est ingens Xaverii pectus, ut omnes posthac curas, ac cogitationes suas ad majorem Dei gloriam retulerit. O utinam? quibus Xaverius, iisdem ego flammis arderem? Amor cælestis accende, combure cor meum, patet ardoribus tuis. Procul hinc vani honores, procul ecenosa voluptates, nugæ nugarum? diutius me retinuitis. *Ratione plenissimum est, illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus.* Euch.

2. *Amare Proximi* ad extremas mundi oras excurrit, Sorbens etiam saniem ægrotorum, forti & indefesso labo-